

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dissertationes refutatoriae synodalis ab Heinrico Heideggero professore Tigurino adversus sacras

Reding, Augustin

Monasterii Einsidlensis, 1669

Dissertatio IX.

[urn:nbn:de:bsz:31-162659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-162659)

Sacello Einsidlensi, ubi Dogmata ista coluntur, haberi miracula, videre licet in Patris Pauli Betschart *D. Thaumaturgâ.* & P. Conradi Hunger *Chronico Einsidlens.* An non igitur ex hoc etiam capite Divina illa Sacelli Einsidlensis Consecratio habet infallibilem veritatis notam. Sed de hoc fufius infra *Dissert. 21. & seqq.*

DISSERTATIO IX.

An fide Divinâ seu Theologicâ constare possit, apparitionem, sub quâ Sacellum Einsidlense consecratum fuit, fuisse Divinam, non verò humanam, vel dæmonicam?

I. **M**iror Heideggerum quoad hoc punctum nihil movisse adversus Theologicos Augustini Reding Discursus de Augustissimo Virginis Deiparæ Divinitus Consecrato Sacello Einsidlensi publicæ luci donatos, & aliàs ab illo Tigurino Doctore sapius impugnatos. Quæ causa est, ut ipsum ad aliquod Theologico-Scholasticum certamen

tamen provocandi gratiâ, reproducam tertium illius opusculi Discursum, sequentibus Paragrahis expositum.

II. Hoc Miraculum constare ex Divinâ revelatione per vocem universo populo audiente Cœlitus delapsam, *Cessa Frater, Divinitus consecrata est Capella;* coram Summo Pontifice, & sacro Episcoporum Consistorio asseruit Sanctus Conradus Episcopus Constantiensis, attestante Sacro Augustano Antistite Udalrico, ex *Bullâ Leonis VIII. Annal. Heremit. Hartman. & Bayar. Sanct. Raderi locis cit.* Videtur ergo formale fidei supernaturalis motivum non tantum respectu S. Conradi privatam ejus mysterij revelationem, seu visionem habentis, sed respectu universi populi vocem illam Divinam audientis; imò accedente approbatione Pontificiâ respectu totius Ecclesiæ sufficienter applicatum esse, ut Divinitus facta Consecratio possit fide Divinâ credi.

III. Verum duplex latet Theologica dif-

difficultas; Altera respectu Sancti Conradi Divinam illam Dedicationem videntis, adeoque evidentem habentis notitiam mysterij, de quo potest moveri quæstio; An ejusmodi evidentia objecti adversetur fidei, quæ in sacris oraculis & Patribus visioni opponitur ceu obscura, & ænigmatica cognitio, seu argumentum non apparentium? Attamen aliud in visione illâ obijciabatur oculis, & aliud cognoscebatur intellectu. Nam Divus Conradus corporaliter quidem videbat Corporis Christi figuram, & gloriæ claritatem, quæ in quantum luminis excessu mortalis oculi virtutem superabat, vel attemperata fuit ad speciem proportionatam, sui inadæquatè repræsentativam producendam, vel acies visûs virtute Divinâ fuit roborata, & elevata ad Corporis gloriosi claritatem perfecte videntiam. Ex quâ visione corporeâ intellectus discurrens, argumento probabili conijciabat Christi præsentiam, de hac tamen

tamen certus esse non poterat, nisi revelationis Divinae lumine interno edoctus, quòd sub figurâ oculis exhibitâ verè lateat corpus Verbo Divino unitum. Neque dubium est, hujusmodi internam Sancti Conradi illustrationem fuisse illi persimilem, quâ Prophetæ de Divinis rebus instruebantur à Deo, ita se illis manifestante, ut Deum sibi loquentem, ac fidei mysteria revelantem clarè cognoscerent. De quo procedit quæstio proposita; An cum tali Dei revelantis evidentiam stare possit actus fidei? Negant enim Bannes 2. 2. q. 5. a. 1. concl. 2. & Sylvius eod. art. concl. 2. eò quòd intellectui Deum sibi loquentem clarè cognoscenti sit evidens propositionis revelatæ veritas, ad cujus aded assensum vi innatâ rapitur necessario, neque per voluntatis motionem liberam captivari amplius potest, ac debet in obsequium fidei. Hæc nihilominus ratio non movet, quin opposita Cajetan. 2. 2. q. 5. a. 1. Ferrariens. cont. gentes.

6. 40. §. Ad evidentiam, doctrina magis arrideat. Etenim supremus Angelus certò sciens in fidei mysterijs se immediatè à Deo illuminari, in statu Viatoris merebatur fidei infusæ actibus. Neque dubium est, Prophetas Deum sibi loquentem evidenter cognoscentes habuisse meritum fidei, sine quâ impossibile est placere Deo. *Heb. ii.* Ergo actus fidei omnino consistere potest cum evidentia Dei attestantis. Hinc redeundo ad propositum, S. Conradus non tam ex visione corporeâ, quàm internâ Dei locutione certificatus de Christi sacrum Altaris Officium in Sacello Einsidleni celebrantis præsentia, hoc Mysterium dupliciter intellectu suo attingebat, uno modo per discursum veritati à Deo sibi revelatæ assentiendo propter infallibilem, ac evidentem Divinæ locutionis connexionem cum objecti veritate, qui assensus scientificus, non autem fidei actus erat: alio modo Sacri Episcopi intellectus moveba-

vebatur à voluntate liberè , ac merito-
riè imperante assensum veritatis reve-
latae , non propter hujus cum Dei locu-
tione connexionem , sed propter inter-
num Dei revelantis testimonium , cu-
jusmodi assensus simplicis judicij erat ;
illationis actu , & discursu prædicto se
habente solùm concomitanter .

IV. Altera quæstio est ; An revelatio
divina S. Conrado tum privatim , tum
universo populo audiente per vocem
Cœlitus delapsam , *Cessa Frater , Capella Di-
vinitus consecrata est* , publicè facta , pos-
sit esse motivum formale fidei Theolo-
gicæ ? Nam Magister in 3. dist. 27. Ban-
nes 2. 2. q. 1. a. 1. dub. 3. docent , solam
revelationem publicam per Ecclesiæ
Principes , Apostolos , & Prophetas à
Deo traditam , esse motivum formale
fidei infusæ , hujus enim fundamenta
sunt in montibus sanctis scil. Apostolis ,
& Prophetis. *Eph. 4. 2. At cœlestis illa vox ,
Capella est divinitus consecrata* , erat equi-
dem publica respectu populi tunc in
Ec-

Ecclesiã Einsidlensi præsentis, non tamen erat publica respectu universalis Ecclesiæ, neque per hujus Principes proposita fuit. Neque summus Pontifex, illius Divinæ vocis probatione coram se factã, habens ratã Einsidlensis Sacelli Consecrationem, hanc idcirco decrevit fidei articulum. Non ergo ad fidem Theologicam, sed ex mente Valentia 10. 3. disp. 1. q. 1. punct. 1. diff. 3. ad prudentiam infusam, seu donum Consilij pertinet, credere Sacelli Einsidlensis Divinam Consecrationem. Verùm quamlibet Divinam revelationem, sive publicam per Ecclesiæ Principes factam, sive privatam pertinere ad formale motivum, & habitum fidei infusæ, tradunt Vega in *Tridem. lib. 9. c. 3.* Bellarmin. *lib. 3. de Justific. cap. 3.* Suarez *de fide disp. 3. sect. 10.* Nam in revelatione privatã æquẽ ac publicã Prima Veritas fert Testimonium; at formale fidei Theologicæ motivum est prima Veritas revelans; Unde revelationum privatæ ac publi-

E

cæ

cæ discrimen non se tenet ex parte rationis motivæ credendi, sed ex parte credibilitatis, quæ in posteriori desumitur ex autoritate Ecclesiæ, in priori verò petitur ex argumentis per internum Spiritûs Sancti instinctum ab homine privato cognitis. Ex quâ credibilitatis differentiâ Theologi aliqui distinguunt fidem infusam, in Catholicam complectentem veritates universali Ecclesiæ credendas, & Theologicam, continentem omnes hominibus etiam privatis à Deo factas revelationes. Quam nihilominus distinctionem merè accidentalem esse, non ex parte objecti formalis se habentem, sed ex parte applicationis objecti, probat Suarez *cit. sect. 10. n. 4.* At verò Divina Sacelli Einsidensis Consecratio erat inprimis S. Conrado manifestata per visionem tum corpoream, tum intellectualem, ac interiorem Spiritûs Sancti revelationem, cui proinde fidem habendo elicit supernaturalem fidei infusæ actum.

actum. Cùm hoc dein Sacro Antistiti
enarranti non crederetur, omnibus in
Ecclesiâ Einsidensi præsentibus, vocis
cœlestis testimonio firmata est Divina
illa Dedicatio. Ex quâ voce cunctos
perterritos rem gestam veram & san-
ctam, fide nimirû *theologicâ* cognoscentes
approbâsse, Ecclesiam illam cœlitus con-
secratam veraciter affirmantes, tradit
Bulla Leonis VIII. Qui Pontifex Ma-
ximus cum Successoribus superius re-
censitis veritatem istam habens ratam,
non quidem articulum fidei decrevit,
ex hoc tamen decreto sufficiens desu-
mitur credibilitatis evidentia, & ratio
vocis illius cœlestis revelationem Di-
vinam taliter applicans, ut secundum
prudentiæ infusæ regulas possit volun-
tas movere intellectum ad præstandum
assensum testimonio Dei, Capellam Ein-
sidensem Divinitus consecratam asse-
rentis. Si ergo in revelatione privatâ
de futuro filio Saræ fides *Heb. II.* lau-
datur, tanquam Divina ejusdem cum
E 2 aliâ

aliâ quâcumque excellentiâ: A fortiori circa revelationem de Sacello Einsidlensi Divinitus consecrato voce cœlesti publicè, & à summo Pontifice approbatam potest versari fides infusa ac Theologica.

DISSERTATIO X.

An morali ac prudentiali, etiam supernaturali certitudine constare possit, licere cultum Divinum peragere in Sacello Einsidlensi, tanquam Divinitus consecrato?

I. **P**Rudentiâ infusæ, seu Doni Consilij certitudo moralis sive immediatè, sive mediatè reducitur in fidei, vel Intellectûs, seu Sapientiæ & Scientiæ Spiritûs Sancti Donorum veritates, tanquàm prima principia. Hæc autem reductio circa Eucharistiam v. g. adorandam, taliter fit, ut primum principium, seu major in formam syllogisticam redacta, sit veritas realis in Eucharistiâ Christi præsentis, ejusque ad